ORATIO

NICOLAI ROSSI

IN REGIO NEAPOLITANO ARCHIGYMNASIO
Rhetoric., & Poetic. Prof. Subst.

HABITA

IN AEDIBUS MONTIS OLIVETI

In prima sollemni studiorum Instauratione

AN. CIϽIϽCCCV.

Ut quisque literatissimus, ita civis optimus.

NEAPOLI
APUD VINCENTIUM URSINUM

Utriusque potestatis auctoritate.

EXCELLENTISSIMO . VIRO
AVGVSTINO . GERVASIO
D. AVGVSTINI . EREMITARVM .
CALCEATI . ORDINIS . SPLENDORI
CAMPANORVM . ARCHIEPISCOPO
ECCLESIASTICAE. DISCIPLINAE. ADSERTORI. STRENVO
PROBITATE . DOCTRINA . CANDORE . ANIMI
CVM . PRIMIS . COMPARANDO
REGII . SACELLI . ET ARCHIGYMNASI
PRAEFECTO . VIGILANTISSIMO
HANCE . ORATIONEM
PRO . SOLLEMNI . STVDIORVM . INSTAVRATIONE
IN . OLIVETANA . PRIMVM . SEDE
RECITATAM
NICOLAVS . ROSSI
LITERARVM . PATRONO . ET . VINDICI
LIBENS . MERITO
D. D.

ORATIO.

Si, quod in hac auſpicatiſſima die, beneficio ſingulari, & maximo ſum aſſequutus, ut more, inſtitutoque majorum, de ſtudiis ineundis a me oratio haberetur; id tantum terroris allaturum fuiſſe mihi providiſſem, quanto me nunc commoveri ſentio: equidem vel periculum, detrectando provinciam, refugiſſem, vel ſi meae vitae rationes omnino prohibuiſſent, hunc certe timorem meum, labori impenſius incumbendo, remiſſiorem, infirmioremque efficere ſtuduiſſem. Qui enim ſuſpicari futurum unquam poteram, ut illa oratio, quae cum inflammandis ad ſtudia de more animis, tum praecipue a veteri Gymnaſio ſupremae miſſioni petendae dicata erat: illa, inquam, eadem, Lyceo ſtatim inde traducto, eaque, ut videtis, ſede locato, hujus auſpicandi loci primum ſollemne adhiberetur? Aut quid ex-

extimescendum magis homini, praesertim nullius ad dicendum facultatis, quam in amplissimo Professorum conlegio, in eo consessu, ad quem literarum egregii aestimatores, ad haec nova cohonestanda auspicia frequentissimi convenerunt, in tanta denique juvenum celebritate, studiorum exordia oratione inaugurari? Moveor etiam ipsius loci insolentia, qui ut prope suo jure a me repetit, ne quid in occursu primo ominosum vitio meo intercidat; ita sua non oculis assueta facies, nescio quam offensionem habet in dicendo. Videor itaque non illo solum timore corripi, quo vel summi oratores initio dicendi solent, verum etiam longe maximo, ac necessario. Illud praeterea nescio quonam meo fato acciderit, ut, quum aliis antea disertissimis laxiori ad scribendum spatio uti datum esset, mihi uni, quod hoc maxime tempore minuendo timori opportunum fuisset, ea copia denegaretur. Quamobrem, etsi avare mecum actum esse doleo, ac pari me video, atque illos esse in periculo, non eadem esse fortuna: tamen, quum multae ad id caussae vel ceteris communes, vel mihi peculiares impellerent, & meo huic, quantivis sit, officio non defuisse, & studiosae juventutis utilitati magis, quam meae famae consuluisse, vehementissime gaudeo. Etenim stat illud animo praecipue in cognitione rerum salubre, ac frugiferum ingenia Literatorum incredibili mobilitate in omnia flecti; quae vero ad utilitates morta-

talibus inferendas vel divinitus facta, vel disciplinis informata sunt, praestantiam adeo singularem prae se quidem illa ferunt, ut, qui id agunt, ii tantum nunc sapere videantur. Erit igitur profecto nobis de saeculi felicitate gratulandum, si literae abnormes antea, atque extra plerunque vagantes, in hac potissimum tempestate, tanquam fraeno injecto, ad hanc conducibilem, perfectamque rationem revocatae sint. Atque ut hoc orta principio oratio mea, allapsu quodam suo eo deducatur, quo gradu consistat, si humani ingenii historias lustrare, fastosque evolvere velimus, uti in illa admirabili, ac plane infinita rerum investigatarum progressione perlegenda, quam maxima rapi voluptate persentiscimus, ita quodam animi stupore demiramur omnes, qui illud immensum cognitionum stadium, ab ultima origine ad haec usque tempora decurrerunt, in duas omnino familias esse distractos. Quorum alteri ingenii sui moderatores ea rationi confinia servant, ut, perinde ac si ab ipso sapientiae Auctore praescripta essent, praeterire nefas putent. Principia scrutantur, caussas explorant, rerum progressus intentissimi legunt; eo tamen scilicet, ut, quidquid conatu suo vel in apricum natura protulerit, vel ipsa ratio investigando pepererit, id communi utilitati inserviat: omnia eo collimant; eo nervos intendunt; id unum student. Alteri contra incontinentissimi per ardua, per praerupta, per devia semper praeci-

 piti

piti curſu feruntur, nunc cupiditate incitati, nunc impotentiſſimo aeſtu perciti, nunc partium ſtudio abrepti: nullo ſe neque fine dirigi, neque modulo metiri amant: tanta denique in iis perverſitas, ut de terminis rationi impoſitis cum ipſo rerum Conditore indignari non reformident. Hinc contentiones, ſimultates, odia, diſcordiae, bella, incendia exarſere; illinc contra opes, fortunae, concordiae, commoditates, virtutes denique omnes in totius orbis civitates pleno alveo confluxerunt. Quod ſi aequum ab iniquo, conſilium a temeritate, rectam utendi literis a perverſa ratione, religioſe, uti par erat, ſejunxiſſet ille, qui tantas in Europa turbas concivit; neque profecto inverecundo problemate ſapientiae jura violaviſset, neque Divionenſis Academia hominem pro ignorantia audaciſſime ſtantem, corona donandum decreviſſet. Sed dirempto tandem, penituſque ſublato illo divortio, quod inter literas, ſcientiaſque intereſſe falſo exiſtimabatur, propoſitis exemplo duobus in antiquitate praecellentiſſimis Platone, ac Tullio, in quibus muſae amoeniores cum ſeverioribus conſociatae extiterunt; dubitandum ſane non erit, quin *Literati* habendi ſint tantum ii, qui exculta facultate philoſophandi publico bono unice intenta utuntur. Quae quum ita ſint, facile quivis intelliget, quam mihi, uti auguror, proclive ſit futurum oſtendere: *literatiſſimos in civitate foris, domique optimos*.

At-

Atque illud in primis vestra animadversione dignissimum existimo unumquemque e civitate partem esse civitatis; civiumque singulos aetate, viribus, ratione adhuc infirma, sese patriae tradere, imperioque devovere. Qui, ut primum e matris gremio in publicum prodeunt, partim quodam animi ardore incensi, partim utilitatis specie inlecti, parti natu majorum exemplo permoti, ad diversa in civitate obeunda munia animum advertunt; veluti sacramento adacti se, quod quisque sponte susceperit, sancte servaturos. Itaque & militiae tyrocinio adscripti, acceptis armis, se imperii custodes, & forum ingressi legum sanctimoniae vindices, & arae devoti Religionis propugnatores fore profitentur. Glebae dati brachia sua proferunt, artifices operas suas spondent, mercatores pro commeatu augendo industriam, laborem, vitam ipsam polliceri non dubitant. Quas liberalissimas contestationes, incredibile quidem dictu est, quanta fiducia Principatus, & patria excipiant. Ominantur enim e multiplici ista, atque unanimi omnium in sua commoda voluntate intenta, publicarum, privatarumque rerum stabilitatem perpetuo perstituram.

A nemine vero tam magnificum, tam singulare, tam necessarium imperio, ac civitati officium praestari putamus posse, quam quod a doctissimo. Quid enim praestantius veritate? non illam intelligo ambitionis contagio adflatam, non pavitantem, non aestuosam, rabidoque

que

que ore erumpentem; ſed humanam, ingenuam, hominum conciliatricem, officiorum parentem, publicae tranquillitati opportuniſſimam, errori inimicam, univerſae tandem tutandae rei neceſſariam. Quo quidem egregio munere per literas praeſtito, & norma Boni in civitate ſtatuitur, & Honeſti fines dignoſcuntur, & mores, ſi quid uſquam a recto deerratum ſit, facili regreſſu in viam reducuntur, & imperio legis cives obſequentiſſimi fiunt, & ignorantiae quoquoverſus erratico curſu diductae propagines deſecantur, furta denique, injuriae, ſeditiones, templorum violationes, ceteraeque foediſſimae ab errore derivatae labes, niſi omnino conſiſtant, debiliori certe impetu decurrunt. Ad quem profligandum hoſtem, ut Hydram, execto capite ferocius uſque aſſurgentem, Literati pro veritate praeliantes, infinitum bellum Herculeo labore ſuſtinere non deſinunt.

Quapropter ridenda magis, quam refutanda illorum opinio, qui doctum hominem ſterilem, ſocordem per ſummam temeritatem traducere auſi ſunt; *ſimileſque iis, qui gubernatorem in navigando agere nihil dicunt; ſi, quum alii malos ſcandunt, alii per foros curſitant, alii ſentinam exhauriunt, ille clavum tenens ſedet in puppi quietus*: ut equidem videar, potiori jure de eo gubernatori ſimillimo, quam Cato ille major de ſene, ita poſſe reſpondere: *non facit ea, quae juvenes; at vero multo majora, & meliora facit*. Enimvero quae magis unquam praecla-

clara effingi queant ? Gentes stando invisere, populos sedendo lustrare, dissitissimas terras non cursibus, sed mente, animoque peragrare, leges, mores, instituta exterorum meditando intueri, retroactorum temporum facta legendo persequi; non alio sane consilio, quam ut, quidquid in ista singulari peregrinatione occurreret animo, id non tam suis ad contemplandum, quam ad imitandum proponeretur? Quid porro tam gloriosum, tamque uberrimum, quam jura Principatus adserere, officia cives edocere, vitia insectari, adolescentiam in maximam spem succrescentem erudire, semina virtutum animis consignare, omnes postremo mentis, ac vitae rationes in publicas res juvandas conferre? Quid tam reconditum in sapientiae sacrario de divini humanique juris Prudentia, de Mathesi, de physicis, de medicis, de philologicis rebus, quod non ab iis undecumque conquisitum, novisque curis explanatum, publica luce fruatur? Quantum insudant in scriptitando! quantum in legendo! quantum impendii ferunt in edundo! Quod si vel in urbe promovendae sunt artes, vel instituendae disciplinae, vel laxandi commeatus, vel temperanda luxuries, vel ordinandi exercitus, vel patriae explicandae leges: eo tunc ipsos in haec studia animo incumbere conspicamur, ut sua ingenia non agere, sed fervere, & cum charitate patriae, quasi quodam affrictu ignescere videantur. Perlegite, si potestis, capita civium: expendite, quantum ab

uno-

unoquoque publicae rei debeatur : conferte genera officiorum : tum intelligetis a nemine affluentiores utilitates, quam a literati viri officio, in publica commoda redundare. Hunc igitur non demirabimur ? hunc non suspiciemus? hunc optimum civem appellare dubitabimus?

Sunt vero vel alia majora: extat enim inter civium ordines certa lex , ac mutua quaedam benevolentia, ut , quod alteri desit , ab altero praebeatur . Sic principatus ab armis, arma a principatu ; cultores agrorum a dominis , domini a cultoribus ; lex a magistratu, magistratus a lege ; patrocinia a clientelis , clientelae a patrociniis ; magisteria a discipulatu , discipulatus a magisteriis ; dominatus a servitute, servitus a dominatu : adeo nimirum, ut e mutuo isto officio , sarto tectoque hinc inde servato, universa publicae tranquillitatis ratio consistat . Literae vero nullam habent peculiarem cum classe civium rationem ; sed in intimos cujusque artis , muneris , officii recessus irrepunt : imperium in omnia tenent : cuncta enutriunt , fovent, exornant : & quo illae continentiores, eo conspectiori in loco totius civitatis magistrae sedent.

Re enim vera quid agrorum cultura sine literis? putatisne illam, ad suam quasi tempestivitatem jam properantem , sola duce natura, processisse ? an ignoratis quae , quo agri laetius , feraciusque vigerent , cum nova , tum maxime utilia, obstrepente toto genere rustico-

rum

rum, avitae disciplinae tenacissimo, literae attulerint? Meminisse potestis veterum sapientissimos, maximeque industrios serentes, ac suis prope manibus fodicantes, agros praestitisse feracissimos: tum illud in primis, uberrimas terras a barbaris miseranda clade vastatas, ac vili mancipio traditas, deterso per literas squalore, in hilaritatem concessisse. Atque utinam India, ingenti auri pondere transvecto, non Europae gentes in fallam opinionem adduxisset populorum, regumque opes in illo metallo, humanarum rerum efficacissimo contineri, suisque aurifodinis occultari: utique illae, talibus nunquam irretitae illecebris, ne tantulum quidem, manus ab aratro dimovissent: ac terra ipsa, *quae olim laureato vomere gaudebat, & triumphali aratore;* nunc fortasse philosophos, optimates, reges ipsos agricolas habere gloriaretur. Quid arma? arma quidem ipsa, licet firmissima imperii praesidia, & ad propulsandos hostium impetus instituta: per se tamen immania, nisi literae temperamento aliquo emollirent. Neque aliud invenio caussae cur hasta Syllae scelerata, cruenta; illa vero Caesaris minus exitiosa fuisset, quam quod alter literas ignoraret, alter doctissime calleret. Itaque iis accepta sunt prorsus referenda & religio sacramenti, & fides in praesidiis, & virtus in praeliis, & fortitudo in periculis, & clementia in victoriis. Quid judicia? Eo scilicet domestico, ac vere civili bello, in quo injustae vindiciae

prae-

postulantur, formidines opponuntur, damna intentantur, calumniae apparantur, de fori majestate conclamatum foret, nisi juri dicundo viri publicae, privataeque rationis consultissimi praeessent, qui suis sententiis e penitissimo scientiarum fonte exhaustis, judiciorum auctoritatem tutarentur. Quid Religio? Etsi horret animus meminisse, quoties illa appetita periculis ad extremum devenerit: nemo tamen inficiabitur nunquam non ab incursantibus undique procellis evasisse incolumem; ut videatur Deus immortalis nullum neque majus praesidium, neque praestantius ornamentum, neque opportunius profugium Religioni dedisse, quam literas. Quid ipsa tandem rerum politicarum procuratio?, quanta civitatis regendae antistites historiae notitia! quanta morum, juris, antiquitatis cognitione egent! Quî vero fieri posset, ut ii usque in agendo occupati, atque inter operosissima negotia distracti, contemplationi vacarent, populosque & regerent, & inlustrarent? Itaque minime mirum, si nullo non tempore, apud florentissimas civitates, genus hominum extiterint, qui in id unum intenderent, ut locupletissimam cognitionum segetem, unde unde conlectam publicae necessitati suppeterent opportunam: quo imperii adminîstri, pretiosissima illa gaza, quantum in praesentia opus esset, expediti uterentur. Vidimus literas barbarorum turbine uno impetu prostratas; vindices in terris usquam literis defuisse non vidimus.

In-

Intellectum est enim a clarissimis viris ignorantiae saeculis multo licentius, quam, quibus literae regnarunt desaevisse crimina: ideoque literatos, inlustrandis ingeniis deditissimos, nulli esse in civitate secundos. Quamvis enim leges per se extimescendae sint; obscurum tamen non est, ita esse factas, ut, quo clariori luce intelliguntur, eo ad illas propensiori animo explendas, excolendasque pertrahamur. Itaque summo jure nobis laetandum bonas literas adeo regum solio semper adstitisse proximas, ut maximam sibi invidiam concirent.

Quid vero, quod illi arbitrantur aliquid suis literis, optimique civis deesse officio, aliis viam ad agendum commostrare, se vero a rebus gerendis abhorrentes, in uno musarum convivio quotidie otiari? Quasi vero non id unum satis foret; vel si illi otio, maximorum operum conditori, minora sane, quam actioni alioquin studiosissimae deberemus. Itaque, docilitate ad ampliora quaevis procuranda maximo sibi studio parta, prodeunt e domestico labore, atque ex illa veluti exercitatione umbratili in pulverem, in clamorem, in mediam aciem civitatis, rati se non alia ratione posse, & optime de omni civitate mereri, & gloriae cupiditatem, qua se non capi, sed incendi sentiunt, quodammodo sedare. Ecquam enim, vel levissimam qua publici, qua privati officii partem creditis ab homine literato praeteriri in agendo? de quo spes melior? vel magis honesta opinio? vel

vel quid usquam desideratum est ? Quos vero nominem ? illosne, in privata quantavis negotiorum gestione, vigilantia, fide, integritate praecipuos ? an publicos viros, in difficillimis provinciis sibi concreditis, sapientia, dexteritate, quadam animi divinatione spectatissimos? veteresne memorem Periclem, Solonem, Aristidem, Xenophontem, Demosthenem, Catonem, Tullium ? an nuperos Richelium, Colbertium, Hospitalium, Ximenem, Passioneum, Fleuryum, Turgotium, Sullyum, vel, quem ipsi novimus, Tanusium ? Qui omnes confessi sunt praesidio literarum fuisse assecutos, ut ipsi vel ardua complanarint, vel periclitantes res publicas in pristinam tranquillitatem restituerint, vel labantes sustentarint, vel prostratas erexerint, vel stantes incolumes exornarint.

Siquidem vero ad te, optime civium, Migliorini, mea fertur oratio, ignosce, si, quod modestia tua recusat, ego reddam gloriae. Repete memoriam pristini temporis, patrocinia caussarum, praestantiam dicendi, tuum forense regnum, tuam domum, oraculum civitatis deliberantium concursu tota die confertissimam. Intuere te ipsum, gradibus honorum citatissimo pede decursis, in isto fastigio locatum; te ad amplissimas procurationes Ecclesiasticae rei, Regiarum Largitionum, Justitiaeque exigendae evectum; te in intimam admissionem Aulici Consilii cooptatum. Pone oculis scrinia tua, in primis illas tuas, tuas, inquam, literas, te denique etiam ipsum,

ipſum , hominem omnium horarum , cunctis pene civibus lucem ingenii, ac conſilii tui porrigentem , atque in omnium commoda temet effundentem . Vide quaeſo nunc , quam mihi neceſſe ſit, refractis reverentiae clauſtris , vim tuae inferre modeſtiae ; quum enim nihil arduum ſit ſapientiae tuae , nihil abruptum dexteritati , nihil invium prudentiae : & ſi nihil habes , quod a literis non accepiſſe glorieris : quis umquam aliud luculentius aeque mihi, ac validius teſtimonium poterit ad probandum ſuppetere , quam tu , quo mea triumphet oratio ? Ac ſi per te licuiſſet , quam ſatius mihi fuiſſet futurum pro ea , quam propoſui , veritate confirmanda, te unum curioſe effingere, quam tamdiu dicendo exſpatiari.

Videor ego hoc loco, ut ii ſolent, qui portum jamjam arripientes , ſubita tempeſtate oborta , in altum invehuntur , nova rei cogitatione corripi, ferrique alio, quam, quo properare ſtudueram. Etenim animadverto literatos, tanquam totius orbis cives , non tam de civilibus , quam , quod longe maximum eſt , de humanis rebus ſollicitos , in univerſi generis utilitates ſua ſtudia intendere. Socrates, quum rogaretur a quodam ; cujas eſſet: *mundanum civem* ſe eſſe reſpondit. Praeclara vox! Nempe debebatur ſapientiſſimo viro, ut ipſe, qui Philoſophiam e caelo devocaverat, terrenaſque domos inlatam tractabilem , ac nobis, ut ita dicam, contubernalem effecerat, pro beneficio iſto hi

humano generi reddito, singulari eo nomine appellaretur. Intelligebat enim profecto non se, qui prorsus Atheniensis erat, sed literas nulli solo addici, nemini mancipari, non familiae, non civitatis, non gentis, non nationis, non linguae finibus includi; sapientes animos, nimia feracitate exuberantes non exigua, non angusta pati; sed, veluti e sublimi demissos, ad mortalium promovenda commoda, in immensa terrarum societate vagari.

Proh hominum fidem! quam inaudita, prodigiisque similia animo subeunt! quanta moles librorum! quae copia rerum! quae varietas! quae ingenia! qui viri! quae studia! quae vigiliae! qui conatus! quot inventa! quot urbes, gentes, brutae regiones excursae, inlustratae literis! Temporum monumenta consulite; reperietis Graecos, ingenita sciendi cupiditate, sedibus suis excitos in Asiae regiones commigrasse, celeberrimisque locis, usquequaque perlustratis, semina literarum, quae illa diutissime sinu suo foverat, tandem detrusisse. Nihil profecto habuerunt antiquius illi, humani animi reparatores, quam eas, maximo marte suo hominibus salutares efficere. Hinc tot ingentes exantlati labores, tot viri doctrina conspectissimi aeternitate donati, tot coloniae, quoquoversus deductae: quarum luce nostrae praesertim orae, quasi sole novo adveniente, disjecta statim caligine, exhilaratae sunt. Europa vero; vix dici potest quanto studio, quae damna sibi, otio

tot

tot saeculis marcescenti ignorantia invexerat, duabus hisce proxime elapsis aetatibus, reparavit: ut in ambiguo sit, utrum admirabilius, tam diuturno, altissimoque jacuisse veterno, an excitatam brevi tanta spatia confecisse. Mementote illa, jamdiu immortalitatis nota procusa nomina, Baconem, Galilaeum, Cassinium, Cartesium, Leibnitium, Newtonum, Boheeravium, Morgagnium, Hallerum, Linnaeum. Subjicite oculis machinarum sumptuosum apparatum; instrumentorum copiosissimam struem physicorum, nauticorum, anatomicorum, chyrurgicorum. Quid tam affabre manufactum, tantaque industria, ad hominum utilitatem elaboratum umquam vidistis?

Quod si vel Kemiae statores Lemeryum, Sthalium, Kirvanium, Hofmannum, Bormium; Venelium legimus, vel *factitia* Halesi fluida percensemus, vel illud ditissimum Naturae promptuarium, duas scilicet tabulas *adfinitatum* Bergmani studiose intuemur, gratulari nobis ipsi profecto debemus, tum quod Natura conspiciendam magis, magisque se praebeat, tum maxime, quod homines sanitati tuendæ magna commoda per haec ingenia compararint. Faxit vero Deus, ne ambitiosa novandi cupidos (malum mortalibus potentissimum, & apud doctos maxime gratiosum) quae Lavoisierii, Morvaei, Bertolleti, Hopsoni aliorumque animos pertentasse creditur, nostrorum physicorum ingenia torqueat, & a recta publicae utilitatis ratione

 de-

non sunt, morti reliquisse. Cerno animo longo ordine stantes strenuos vitae artifices Hippocratem Coum, Galenum, Celsum, Arethaeum, Paracelsum, Fallopium, Fracastorum, Harvaeum, Lancisium, Bellinium, Larryum, Boerhaavium, Hallerum, Tronchinium, Vallisnerium, Tissotum, Van-Swietenem. Video etiam in his Ingrassiam Lycei nostri socium, qui Panormitanam urbem, teterrima lue vexatam sua ope liberavit, Nicolaum Cirillum, qui, clarissimo mandante Newtono, Anglicanae Academiae praefecto, ephemeridas metereologicas Neapolitani caeli accuratissime concinnavit, Seraum, proh qualem civem! e cujus officina isti clarissimi in re medica viri, qui sedent, & quos magno concursu, plausuque auditis, prodierunt; te quoque, at non in extremis, calamitose Borelli, quem praeclarissima haec urbs suum civem esse praedicat, occlamante Messana: quales illae tuae de *motu animalium* paginae! auro sane contra a medicis non permutandae: ut Boerhaavius dicere solitus sit imperitum medicum, qui ista tua ignoraret. Quis ergo tibi majora debeat? haecne patria, quae e te tali cive non mediocrem gloriam decerpsit, an medicorum respublica, qui suam artem, hoc eximio tuae mentis foetu nobilitatam confessi sunt; an universi homines, ad quorum salutem non minima e tuo labore dimanarunt?

Cetera praetereo, & quidem praestantiora bono mortalium a literis sapientissime confi-

cta

cta. Quanta in ethicis ad animi motus compescendos! in bonis literis ad oblectandum! in historicis ad imitandum! in agrorum cultione ad ditescendum! in oeconomicis ad conservandum! Quanta in Iure naturae, ut omnia ad rectam rationem componantur! in illo Gentium, ut ipsae uno, certoque jure contineantur! de Bello, de Pace! illud ne temere, injusteve indicatur; haec ut parta; foedera ut semel icta serventur! Quanta in nauticis ad populorum egestates ultro citroque facilius compensandas! in geograficis, ut totius orbis cives esse possimus! in linguarum cultura, ut omnes uno ore sonantes, arctiori vinculo teneamur! O Literas unas excellentissimas! O Sapientiae nobile nomen! O Literatissimos in terris principes viros! Quo tandem vos appellem nomine? naturaene scrutatores, qui rerum vires, incredibili conatu abstrusas, ad humana commoda revocastis? an patriae patres vos, qui unicuique civium ordini consulendo inservistis? an vitae magistros, qui aetatem in docenda, instituendaque juventute contrivistis? an Imperii adsertores, qui regia jura ingenii armis vindicastis? an humani generis antecessores, qui faces literarum ad inlustrandas regiones praetulistis? an, quo uno nomine cetera omnia comprehendi intelligo, *optimos cives*, qui omnem industriam, vitam, vosmetipsos felicitati gentium devovistis? Atque ego tanta heic videor rerum magnitudine obrui, ut peraeque sentiam

 con-

contigisse mihi, atque illi Carthaginiensium duci ad Anienem sedenti, qui quum longa felicitate, atque indulgentia fortunae luxuriaretur, essetque in magna spe potiundi Romam: tamen ingenti murorum exstructione propius conspecta, quasi ad miraculum attonitus constitisse dicitur, atque inde deterritus, motis illico castris, Capuam in hyberna concessisse. Sic liceat mihi periculum declinanti, fractique animi in tutum recepto, *domi literati qui sint*, per otium videre.

Etsi nescius non sum salebroso me in loco versari, magisque mihi disputationem de ea re incundam, quam orationem praetexendam esse: tamen, quum plurima occurrant argumenta, literarum intimum cum virtute commercium probatura; sinite, quaeso, vos, ut subtilioribus ad philosophorum umbracula amandatis, ea potissimum seligam, quae & dicendo aptiora visa sunt, & vestros animos, longa fortasse recitatione defatigatos, recreando potentiora. Itaque dicturus non sum, quantum sit in sapientissimis praesertim viris rationis imperium, quanta in animis cultura subactis, virtutum potestas, quanta philosophiae cum recte vivendi ratione affinitas, quanta demum Religionis, ac doctrinae concordia. Quae quidem omnia, licet expediundae rei utilia adprime sint; in iis tamen pertractandis, nescio quo modo retardari mea videretur oratio.

Quare illud unum vobis proponite, quo ce-

tera

teta fluunt, *sapientiam omnis* scilicet *honestatis fontem*, uti docte Tullius, *in perspicientia veri esse positam*: quumque proprium hominis vera investigare, tum vel maxime cujusque doctissimi, quid in unaquaque re verissimum sit perspicere, rationesque celerrime explicare. Ac proinde illorum animis, hoc inveterato contemplationis usu obduratis; ac prope confectis, hujusmodi est cum ipsa veritate propinquitas, ut labi, errare, falli, nescire, decipi, quae communis naturae vitia sunt, in iis turpia, aliena putentur. Cuivis ergo facile intelligi datur, literatos, uti sapientiae proximos, ita virtuti esse comparatissimos. Neque vero, si Stoici non sumus, qui literarum plane rudem, honestum esse posse negemus: non idcirco fatebimur omnino a veritate abhorrere, hominem exsistere, scientiarum luce, quanta maxima praeditum, qui omnimoda Boni ratione perspecta, ad bene agendum non vehementissime impellatur.

Putatis ergo cupiditates, quae nonnisi segni solo radices agere solent, in animo tam erecto tantisque bonis exaggerato posse consistere? easque lege Naturae rationi subjectas, ab imperio rationis istius, tam bene munito contineri non posse, sed evagari, exultare, debacchari? Sed qua tandem ipsi cupiditate rapiuntur? avaritiane? Si parsimoniam vocari ea turpi voce velitis, rapiuntur sane. Quum enim in expensi tabulis, maxime tenuiorum, egentis tantum naturae nomina, large etiam expedita invenian-

curator sui. Plerumque nullus, vel perexiguus a patre reditus, a labore mediocris, a frugalitate maximus. Modica, sed saepius munda, & avita suppellex. Cetera parcus; in copia vero librorum paullo fortasse sumptuosior, quam res familiaris patitur. Brevi somno, facilique cibo literati utuntur. Quanta soli excudunt in abdito, nocte socia, & tota saepe insomni! nihil aliud profecto magis curantes, quam aliquid in vita relinquere, quo non sibi, sed humano generi, vixisse testentur. Certa, ac dimensa habent tempora, quo literis, quo muneri, quo etiam corpori vacent. Defixi interdum, animoque immobili fruuntur otio, non tamen effaeto, sed quale illud Africani gloriantis *nunquam se minus otiosum esse, quam, quum otiosus; neque minus solum, quam, quum solus esset*. Delectantur nonnulli persaepe immodica lectione librorum, praesertim quos in lucem editos ad sua studia pertinere arbitrantur; in quibus si quid novi, vel eruditius conscriptum occurrit, tanta aemulatione rapiuntur, ut irrequieti noctes agant: sic Eschines, Demosthenes, Tullius, Giraldius, Poggius, duo Scaligeri; uti in armis Themistocles, qui cum recepisset se in cubiculum dormiturus, neque interea somnus obreperet, dixisse legitur se excitari triumphis Miltiadis. Quid dicam de fama eorum? de juvenum comitatu? Salutantur, deducuntur, observantur, amantur. Quam jucunda cum homine docto societas!

tas ! quam grata consuetudo ! quam optanda, vel etiam amanda vicinitas ! non infecta malevolentiis, non assueta mendaciis, non fucata, non fallax, non erudita artificio simulationis; sed plena officii, plena observantiae, plena etiam antiquitatis. O *Sapientem uno Jove minorem !*

Scio plerisque videri me in latissima ista praedicatione literatorum multo longius decurrisse; vitiosa vero, quae iis appingenda erant, in alia digressum vel non vidisse, vel consulto praeteriisse. Sed tantum abest, quin ex aequitate, bonaque fidae cum his rem transigere cupiam, ut potius fateri non dubitem: *Nullum esse magnum ingenium, sine aliqua mixtura dementiae*: si dementia appellanda sit quaedam naturalis levitas, quae citra recti officii offensionem, doctrinae facile conceditur. Itaque nunquam existimo Paracelso, artis medicae restitutori crimini dandum, si, quo primo die cathedram conscendit, de se nonnulla gloriose loquutus Galeni, & Avicennae libros in medium conjectos, frequentissimo inspectante auditorio, jussisset exuri: neque vertenda vitio vel Tullii gloriolas, vel Scaligeri de sua generositate insanias, vel Gronovii rusticitatem, vel Pontani in judicando licentiam, vel Galliani nimis acutos sales; vel nostri Martorellii indignatiunculas, si quando aut in Homerum, aut in Calamariam suam concertatio de composito instituebatur.

Quum autem meam orationem, jam ad exi-

tum

tum festinantem nihil ultra detineat; ne aliud quidem reliquum confido fore, quod vestros animos, adhuc in ancipiti fluctuantes habeat. Quum enim literae sint quaedam humanae rationi admotae faces, per quas illa ad assequendas sibi propositas utilitates concitatiori cursu feratur: qui dubitandum, quin literati, id opis rationi praestantes, optimi habendi sint? quandoquidem & civitati maxime consulant, & cuivis civium ordini firmamento sint, & in agendo dexterrimi, & in felicitate humano generi concilianda incomparabiles, & in domestico officio, ea constantia, quanta a familiaritate cum virtute sperari potest. Si vero ea frequentia, ornatissimi Juvenes, tantoque studio adestis, quanto nunquam alias adfuisse vidimus; quid est, quod aut de ipsa re, aut de vestra voluntate dubitemus? At enim literati esse non possumus. In qua civitate non potestis? in ea scilicet, in qua, etiamsi nolitis, fieri omnino debeatis? Circumspicite consessum istum omni sapientia diffluentem, atque oculorum aciem suo fulgore perstringentem; Aulae praesidium; Lycei splendorem de vigilantissimo suo moderatore gloriantis; Fori majestatem; civitatis florem, hoc uno in loco conlectos. Ecquis non ab incurrentibus undique in oculos doctrinae exemplis permoveatur? quin etiam tacita non sentiat se voce convinci eorum singulos e seminario literarum, in ea civitate fecundissimo prosiluisse? Igitur, si nihil habet, neque fortuna vestra ma-

majus, quam ut possitis, neque natura velitis melius, quam ut velitis, per vestigia istorum civium clarissimorum promovete gradus: hoc satagite: in hoc incumbite, ut *literati*, idest, ut *optimi cives* quanto ocius evadatis. Ac siquidem sapientia providentissimi Regis factum est, ut, Gymnasio in hanc sedem inlato, omnique hinc extorri, quod literis molestiam vel leve crearet, studiosae juventuti consuleretur, hanc toties oblatam vobis occasionem tenete; renovate animos; nova loci auspicia, novis anni auspiciis comprobate, reputantes stativum hoc alterum Regiorum Studiorum domicilium auspicato, inauguratoque reserari, non alio peracto sollemni, quam una a vobis sponsione praestita nunquam in posterum neque studio, neque assiduitati defuturos. In has sanctissimas leges jurate, Gymnasiarcha ipso, rarissimi exempli viro adhortatore. Haec vota Lycei, haec cuncti obtestamur, haec patria postulat, haec ipsa Principis munificentia imperat: explete tandem praecipuam expectationem, quam de vobis concitavistis: recordamini nobilissimae civitatis vos esse cives: date signum nascenti saeculo, quantum est in vobis, nihil reliqui facturos, ut suum nomen in reipublicae literariae fastis, aliqua insigni nota collustretur. Fortunet Deus immortalis auspicia nostra: propugnaculum civitatis, tecta ista defendat. Illud unum ad summam votorum accedat de optimi Regis, regnorumque incolumitate felicia omnia ad-

adprecari, in maximam ſpem erecti hanc urbem, quam natura, hominesque pulcherrimam, moderatorum vigilantia beatiſſimam, literae florentiſſimam effecerunt, in quorumvis hoſtium incurſus ſalvam, invictam, aeternam tanto Rege futuram.

F I N I S.